Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



211.

23) Vide, quæ dicta sunt Add. 22, n. 5, 7, 31, et 32. De hoc Alberto Goritiano fratre natu minore Meinhardi I Tirolensis, doctissimus observat Ill. Coronimus Tent. genal. Com. Goriz. c. 3, segnentia: Mortem vero Alberti I Comitis Goritiæ, Fratris Meinhardi III (inter Tirolenses I) ad annum 1250 referimus, solo quidem teste Austo, Tabularii Græcensis, quod hisce verbis R. P. Antonius Steyerer S. J. in Præfatione ad Commentarios pro Historia Alberti II Austr. pag. ultima commemorat: „Differt tamen a Neostadiensi (Austo Græcense Austum) quod illud primo loco referat mortem Alberti Goritiensis, et Tyrolensis Comitis ad annum 1250. ---- Satis opinor his argumentis comprobatum est: in Stamsensi Chronico, Editionis Rezianæ, ad annum 1253 loco: Albertus Pater Meinhardi, reponi debere: Albertus Avus Meinhardi, vel fortasse: Patruus. Nam Meinhardo IV. et Avum, et Patruum, Albertum nomine fuisse, idem Stamsense Chronicon paulo inferius ad annum 1289. perhibet. - Patrui nomen hic omittitur; cum tamen singulorum deinceps nomina accurate exprimantur. Nempe quoniam cum Avo eodem nomine Alberti gaudebat Patruus Meinhardi IV. semel in eadem sententia positum Alberti nomen satis esse putabat Auctor. -- Alberto I Goritiensi uxorem tribuimus Hippolytam Neram, Lambaldi de Collalto filiam. In Tabulis Genealogicis Hübneri Parte III. Tab. 803. edit. 1728. Lambaldi VI. filia ponitur: „Nera, uxor N. Comitis de Goritia.„ -- Illustrissimus Comes Sigismundus Althemsius nos per literas datas Goritiæ CIↃIↃCCI. VII Idus Decemb. edocuit: Hippolytam vocari in Actis Collaltianis Lambaldi filiam, quæ Goritiensi Alberto nupserat. -- ita conciliari ambo (Hübnerus et Althemsius) poterunt: ut Hippolyta illa compellata sit cognomine Nera, a crinium, vel oculorum, aliusve rei nigro colore, aut quacumque de causa. -- Ex Alberto I. et Hippolyta Nera natum censeo Meinhardum V. Persuadet istud Julianus in Chronico Forojul. quod Rubeis in Appendice pag. 29.

Cæterum supra allegatum Manuscriptum Tabularii Græcensis tanta ancloritatis non est, ut vel ill. Coronimus quo ad annum obitus Alberti firmum ei assensum tribuat, vel nos illud Stamsensi tabulæ præponamus.

24) Diploma apud Meichelbeckium Chron. Bojan. p. I, c. 18 sic sonat.

Nos Gebhardus Dei Gratia Comes de Hirzberch. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod nos omnem donationem Ottonis Ducis Meranie Comitis Palatini Burgundie, et filii sui Ottonis Ducis, quam fecerint et donaverint cenobio Burensi in agris, pratis, aquis, et silvis, cultu et inculto, et in theloneis, et quam donationem soror nostra Albertus Comes de Tyrol, pro se et successoribus suis ratam habuit et confirmavit, ratam habemus et acceptam in testimonium et veritatis indicium dantes eidem predicto Burensi cenobio et ad removendam donationis ambiguitatem nostras patentes literas sigilli nostri munimine roboratas.